



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 39. Delphinus in Delphinatu hærens, nec amplius ad Regiam redux

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Sæcul. XV.  
A.C. 1450.

## §. XXXVIII.

*Jacobus exilio ac bonorum proscriptione multatus.*

Jacobus, quamvis omnia accusationum capita plene diluisset, nihilominus omnia ejus bona ærario publico addicta, ac ipse insuper Regi quadringenta aureorum millia pendere lata sententia compellebatur, demum vero in Insulam Cyprium relegatus fuit, ubi tamen suorum sociorum auxilio, ac proprii ingenii viribus adjutus, ad opima fortunæ commoda devenit; tandem vero in pugna adversus Infideles, ut creditur, occubuit. Interea Nobilis foemina, quæ Jacobum de Veneno Agneti propinato accusaverat, calumniæ convicta, & aula ejiciebatur in exilium pulsa. Jacobi quoque innocentia, eo licet jamjam defuncto, vindicata patuit, & ipse Delphinus ad solium Regni eVectus, & Ludovicus XI. appellatus, Gregorio Cordis Filio ejus aliquam bonorum Patris sui partem restitui curavit.

## §. XXXIX.

*Delphinus in Delphinatu, nec amplius ad Regiam redux.*

In tota belli, quod Rex Galliaë nuperime contra Anglos gessit, historia nulla Delphi-



Delphini mentio facta est; nec abs re; is <sup>3æcul. XV.</sup>  
 enim confecto in Aquitanniam itinere, A.C. 1450.

Anno millesimo quadringentesimo quadra-  
 gesimo sexto a Rege, ut Delphinatum sibi  
 tanquam primogenito Regis Filio dona-  
 tum adiret, veniam obtinuit, ea tamen  
 lege, ne ultra quadrimestre tempus ibidem  
 hæreret. Hoc quoque in itinere pa-  
 cta cum Sabaudia Duce anno supra mil-  
 lesimum quadringentesimo quadragesimo  
 septimo Genevæ sancita firmavit. Ve-  
 rum quatuor mensium terminum sibi a  
 Rege concessum prorogans, diutius in  
 Delphinatu substitit, & liberioris auræ  
 illecebris captus non ultra Regis aulam  
 repetere cogitabat, nihil proficientibus  
 Patris sui precibus, quem minime late-  
 bat, quod filius suus, licet absens, arti-  
 bus tamen, suorumque fautorum ope con-  
 tinua dissensionum semina spargeret.  
 Haud multo post idem Regi libellum ad-  
 versus Brezæum Pictaviensem Senescal-  
 lum porrexit, in quo eundem de atrocissi-  
 mis, ac potissimum in ipsum Regem com-  
 missis criminibus insimulabat, pollicitus,  
 se delationem suam plurium testimonio  
 probaturum. Rex Ministrum suum,  
 quamvis merito innocentem crederet,  
 sua tamen ope aliquatenus destituit. Ast  
 Brezæus non tam Regis auctoritate,  
 quam innocentia sua tutus, minime ani-  
 mum despondit, nec ullam gratiæ viam



Sæcul. XV.  
A.C. 1450.

quæsiuit, sed intrepide, quæcunque sibi crimini darentur, dilutorum spondit, causamque suam tam invicto animi robore, tantoque candore dixit, ut Rex, quo præsentem peroravit, non solum illum comprehendere prohibuerit, sed paulo post ad Consulatus dignitatem revocaverit, majoreque, quam antea habuit, gratia & auctoritate cumularit, quo tamen Delphini invidia, atque odium immodice excrevit.

§. XL.

*Valonia ab Anglis occupata.*

Vere ineunte recrudit bellum adversus Anglos, quorum primos quoque conatus fortuna promovit; Valoniam enim inferioris Normanniæ urbem in suam potestatem redegerunt. Thomas etiam Kiriellus cum tribus Anglorum millibus in Normanniam excurrere, Cheroburgum obsidione cinxit. Oppidani quidem primos hostium impetus virili animo sustinuerunt, verum desperatis Gallorum suppetiis, Abel Rouantius Nobilis Pictaviensis urbis Præfectus, æquis conditionibus deditionem evoluta tertia septimania facere compulsus est. Kiriellus alia tria Anglorum millia, quæ ex Cadomi, Bajoci, & Viriæ præsidiis collegerat, suis copiis adjunxit, atque exercitum suum